



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

De Julij III. obitu, & de Marcelli II. in Jgnatium nostrosque benevolentia.
Cap. XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004


uerat. vt ab iis qui diuinam prouidentiam ex rerum
 humanarum euentis obseruant, non sine causa ani-
 maduersum fuerit, omnes tanti Præsulis in Societate
 impetus & conatus eo deniq. recidisse, vt cum maxi-
 me nostros, opinionis errore deceptus, ex vniuersa
 Hispania pulsos cuperet, tunc ipsum in sua Toleta-
 na metropoli domum illis exstrueret, ornaretque.
 Eiusmodi fuit igitur Hispaniësis illius procellæ trās-
 itus. Ac pari felicitate in aliis quoq. prouinciis coor-
 tæ in nos tempestates, Ignatij lenitate, prudentiaque
 sedatæ sunt: ac Dei beneficio vbiq. fere Societas ma-
 iora in dies incrementa capiebat.

*De Iulij III. obitu; & de Marcelli II. in Ignatium
 nostrosq. beneuolentia. CAP. XXII.*

Inter hæc Iulius anno Pōtificatus quinto
 demoritur: cui Marcellus Ceruinus Poli-
 tianus ingenti bonorum omnium gaudio
 suffectus est. quidquid enim erat spei de
 publicis rebus, id pæne totū eius Pontificatus annis
 vulgo despōderant. Ad hunc Ignatius pro veteri fa-
 miliaritate cum adorandi & gratulandi causa venif-
 set; arcte amplexus hominem Pōtifex, & suauissime
 exosculatus, multa cum eo inambulans de fidei Chri-
 stianę propagatione, deq. restituēda Ecclesiastica di-
 sciplina serio contulit: atq. ob id ipsum nōnullos ab
 eo petiit viros, quos haberet apud se cōsiliij causa. Ce-
 terum in primis dilexit Iacobum Lainem, & Marti-
 num Olaium, quorū videlicet vtriusq. virtutem ac
 sapientiam optime nouerat. nam de Frācisco Xaue-
 rio, cuius fama, rebusq. gestis valde permouebatur,
 iam ante exorauerat, vt illum omnino Romam ex
 India

Indiã reuocaret : quòd tanti viri videndi, ruendique in eius amplexum miro quodã desiderio teneretur, quinetiam nostros quotquot ea tempestate Romæ versabantur, ad se in palatium adduci iusserat : quòd hæc copias recēdere, & singulos coram quasi bono imperator milites vellet inspiciere. deniq. multis de nostra Societate verbis vltro citroq. habitis : Tu bellatores (inquit Pontifex) confice ; nos vtemur. Cum ab eo congressu, aliisq. deinde colloquiis lætus admodum discessisset Ignatius, & optima spe Societatem impleisset; breui ea lætitia cūctis euanuit. si quidem Marcellus altero & vicesimo die quàm Pōtifex declaratus fuerat, febris extinctus ; ingenti omnium luctu Christianam rempublicam orbam ac debilitatam reliquit.

Ignatij obitus. CAP. XXIII.

 VCESSIT Marcello Paulus eo nomine quartus, qui, cum propter nonnullas interpositas offensiones acerrimus nostri ordinis inimicus fore putaretur, hominum opinionem longe sefellit. Nam & in Ignatium ipsum, cunctis admirantibus, perhonorificum sese præbuit; & Societate multis rebus decorauit, auxitque : & nostrorum hominū opera maximis in rebus Ecclesię plurimum vsus est: & de fundando collegio seu academia, quam in Vrbe Ignatius magno reipublicæ Christianæ bono instituerat, serio cogitauit. Hunc Pontificem inter & Philippum Catholicum Regē exorto graui & periculoso bello, quod breui deinde compositum est; cuncta misceri; compleri armatis Vrbs; tympanorum, ac tormetorum horrifico strepitu